

Revellentia ac Derivantia, ex hoc fonte laudantur & I M-
PELLENTIA ac INTERCIPIENTIA, quæ sangvinem jam fluxum
detinent, atq; hæc pro majori parte probantur in fluore à
partibus externis. 1. est COMPRESSIO, quando adductâ cute,
vel carne à partibus vicinis, vel superpositis digitis, aut lini-
mentis & stuppis, ac loco à quo sanguis erumpit, compresso,
retinetur. 2. DELIGATIO cum fasciâ, prius adductis oris vaso-
rum, deinde superpositis iisdem linimentis & stuppis medi-
camento emplastico, sangvinemq; supprimente infectis,
quæ deligatio arctior super locum affectum, laxior verò
versus originem vasorum esse debet, testibus Hippoc. & Gal.
3. LAQUEATIO vasis, sub eo enim trahitur acus, filum lineû
ducens, quo vas arctius alligatur, atq; sic sanguis non
amplius effunditur. Sed si id agatur circa aliquod vas ma-
gnum, gangrænæ periculum imminet. 4. SECTIO per trans-
versum, vasis scil. sangvinem fundentis, nam partes dissectæ
retrahuntur, celanturq; ac à partibus adjacentib. tegitur.
sectio, teste Gal. 5. Meth. 8. de Admin. Antom. 6. 5. Est USTIO cû
ferro candenti, quod convenit præcipuè, ubi profluvium
sanguinis ab erosione habuit originem ex 5. Meth. Sic enim
inductâ crustâ sistitur sanguis. Tandem, sunt materiæ chi-
rurgicæ, quæ nō respiciunt sangvinem, sed alios succos, & ex
consequo quodammodo ipsum sangvinem, & hæc sunt
CAUTERIA adhibita, tanquam materia remedii revulsorii,
partibus distantibus, USTIO SYNCIPITIS, ut materia evacua-
toria probatur.

II. PHARMACEUTICO. Si hæmorrhagiæ causa,
sit particularis in uno membro, aut solius sanguinis abun-
dantia, sola etiam revulsio sufficit. Ubi verò vitiosi alii hu-
mores in corp. sangvini sunt admixti PURGATIO instituenda
est, quâ simul humorum ad inferiora fiat revulsio. Et quia
bilis fere peccat, utendum LENIENTIBUS ex rhabarb. ta-
marind. myrobal. citrin. vel chebul, manna, syrupo. rosar.
solut. & similib. A FORTIORIBUS & calidis, abstinendum
est, cum humorum acrimoniam augere, eosq; valdè com-
movere, & fluxioni aptiores reddere possint, quare scam-
monium & alœ non sunt usurpanda. CLYSTERES quoq;
pro